

# XL M. A. SABELLICI

*res Venetas scribendum, nulli propemodum notus, PROCUL que a Venetae ciuitatis conspectu TOTAM (VERONA est mihi testis) TEXUI HISTORIAM , &c.*

1486  
(a) num. A.  
p. 19.

Decimo autem quinto mense absolutam ab illo esse historiam, declarat Hermolai Barbari, qui Aquilejensis fuit Patriarcha, epistola ad Georgium Merulam, Alexandrinum, data Venetiis XI. kal. majas anni M. CCCC. LXXXVI. Exstat in codice epistolarum ejusdem Barbari (a) apud amplissimum Senatorem & Equitem Baptistam Nanium; mecum autem illam communicavit cl. v. P. D. Joannes-Benedictus Tassius, Camaldulensis, Abbas S. Joannis in Judaica. *Scripsit historiam Venetam (inquit Barbarus) ab urbe condita Sabellicus, quem probe nosti, duobus & triginta voluminibus, QUINDECIM, nec plurum MENSUM spacio. Adjeci hoc, non uti tu quoque festinares (tunc enim Merula stipendio a Mediolanensi Duce conductus, Mediolanensium scribebat historias) editionis ambitu: sed uti maturandum esse tibi cognosceres in tanta expectatione studiosorum hominum. Quamquam, ut verum fatear, Sabellicus non ipse, probus alioquin, & supra quam dici possit, modestus, in causa riederi potest; sed importunitas flagitantium, & historiam patriam aliquando latine scriptam videre aventum.*

Editam primum a Sabellico historiam esse mense aprilii anni M. CCCC. LXXXVI. colligitur ex antedicta Barbari epistola; eam vero in *duos tantum & triginta libros* digestam, non Barbarus modo ibidem testatur, sed ipsius quoque Sabellici nuncupatoria ad Marcum Barbadicum Principem epistola. Alio autem esse anno in lucem emissae videtur; neque eundem esse librorum numerum, evolenti liquido constat. Primum enim annus ad primae editionis calcem appositus, is est: *Hoc opus impreßum Venetiis arte & industria optimi viri Andreeae Tore-sani de Asula (fuit is postea majori Aldo sacer) anno M. CCCC. LXXXVII. die XXXI. madii. Augustino Barbadico inclito Principe.* Quod ad librorum numerum spectat, *iis tribus & triginta* historia tota continetur, quorum postremus ad *Augustini Barbadici Ducis creationem* perducitur, qui *Marco fratri successit: quae sane haud contigerunt ante augustum mensem anni M. CCCC. LXXXVI. cum XVIII. kal. septembres diem suum Marcus obierit.* Ego quidem a vero alienum haud puto (ut rei obscuriori lucis aliquid afferatur) cum primum subjecta praelo est ea *historia, complexam esse duos tantum & triginta libros, atque hos Marco Principi nuncupatos.* At post paucos menses, exemplaribus jam aliquot distractis, quorum unum in Barbari manus forte devenerat, additum ab ipso librum esse tertium & tricesimum, inscripto anno sequenti, quo anno Duci eidem extincto novus erat suscepitus: neque ideo placuisse tamen ab opere universo nuncupatoriam auferre jam evulgatam. Alia rei componendae ratio non succurrit: & fortasse aliquando fiet, ut exemplar ipse offendam, ubi & postremus hic liber, & librorum omnium *Epitomae* desiderentur, in quibus etiam est postremi ejusdem libri epitoma.

De hac historia tulerunt varia docti homines judicia, cum tamen aequa ab omnibus laudetur dicendi genus. Desiderius Erasmus in ciceroniano ita de Sabellico sentit: *Agnosco natura facundum, nec artis expertem. Nec infeliciter rhetoricitur interdum. In historia sua splendide versatus, sed in hac tantum, quae suum dicendi genus dejiderat. Conringii (b) hic sen-*

(b) de Rep.  
Ven.